EXPOSTULATIO
NON PACIFICA
ADVERSUS
RESPONSIONEM
SIMULATE PACIFICAM
MARTINI STEYARTII
ad
DECLARATIONEM
Ex. D. J. L. HENNEBEL
novissime evulgatam.

Expostulabat Irenæus Philalethes.

Quid tibi & paci? 4. *Reg.* 9.

ANNO MDCCI.

Non est pax ista,

sed bellum.

Cypr. de lapsis.

PRÆFATIO.

IMportuna narratio eſt, dum perturbator Univerſitatis toti Belgio manifeſtus, origo diſſidiorum, fax ſimultatum, procella tempeſtatis, vultum modeſtiæ ſimulatè affectans, de concordia & pace diſſerit. Novimus quidem, præcinente Auguſtino Magiſtro noſtro, * *Tantum eſſe pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius inveniri.* Sed non caduceatoribus iſtis oneroſis, qui non alia lege, quam pactâ dominatione in alienam fidem, omnibusque, tanquam ſervis pecoribus, ſub jugum miſſis, pacem initam atque emptam volunt; Eccleſia aut tempus eget.

Dantur in Religione noſtra articuli, quos tanquam fidei baſes (*fundamentalia* à quibusdam nuncupari ſolent) ac medullam Chriſtianæ Societatis in pretio habere decet; & qui illos convulſerit, nec à maleſana obſtrependi libidine avelli aut reſipiſcere paratus ſit; procul à pace noſtra & communione tanquam publicanus & ethnicus repellendus eſt. †*Ferendus*, inquit Tagaſtæum Decus, *diſputator errans in aliis quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plena Eccleſiæ authoritate firmatis: ibi ferendus eſt error; non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur.*

Sed præter has fidei baſes, innumeræ quæſtiones ſunt quæ aut pœne æqualibus, aut magnis ſaltem hinc & hinc rationum ſeu auctoritatum ponderibus (nam hiſce præcipuè decertandum in hac paleſtra) à Theologis diſſentientibus ventilantur: ob quas pacem cum Collegis ſuis & comem amicitiam ſervare nolle, niſi in opiniones noſtras non quidem argumentis convicti, ſed authoritate preſſi, cum intellectus ſui captiva & abjecta infractione conceſſerint; non modò omnibus Chriſtianæ ac Ci-

 vilis

* *lib.* 19. *de Civit. Dei c.* 11. † *ſerm.* 14. *de verb. Apoſt.*

vilis urbanitatis regulis è diametro adversatur; sed invidiosa hominum, amore sui laborantium, intemperies, & germanus est pedanismus.

Dantur & sententiæ quædam, quæ sive quod documentis venerandæ antiquitatis destituantur, sive quod cum Ecclesiæ Canonibus directè pugnent, sive quod in ipsum etiam pietatis Christianæ sensum & apertam rationem non obscurè impingant; repudiationis suæ notas quasi frontibus præfixas gerunt: nec nisi factiosorum quorundam, placentia hominibus loquentium, vi aut numero sese sustinent. Ad has porro propugnandas etiam suos ineundæ pacis consortes alligatos velle; quid est, obsecro, aliud, quam cujusdam tyrannidis spiritualis dominatu Theologicas Academias & scientias premere, proterere, ac conculcare?

Hæc paucis præfati, videamus quid de prætensa *Responsione Pacifica*, juxta inconcussa Theologiæ principia, sentire oporteat.

PAcificator in exordio *Responsionis* appellat ad Scriptiunculam quamdam suam, quam vocaverat *Consilium pacis in hodiernis controversiis Theologicis*; & quam hac postrema *responsione* sua, *reflexionibus brevibus*, & simul levibus, interspergit. Ordinem itaque, ut rite procedamus, in mirifico *Consilio* isto *pacis* servatum, nos in hac scedula tenere convenit.

Paragrapho primo rectè * nobiscum ab Hennebellio & confœderatis petit *explicari magis illam obedientem subjectionem*, quæ promittitur Decretis & Constitutionibus Apostolicis; verùm cum deinceps rogat ut se discernant ab ea, quæ etiam erga *Edicta magni Turcæ vel Mogolis* promitti posset, sarcasmo utitur, quem in belli incentores potius quam pacis consultores quadrare, non difficili negotio cernitur.

Alteram conditionem pacis ineundæ proponit, ut in *Constitutionibus & Decretis Apostolicis non tantum præteritis, sed etiam futuris, agnoscant authoritatem inerrabilem S. Sedis: quam in ea agnoverunt Lovanienses Theologi jam tum ubi agebant contra Lutherum, & adhuc nuper Universitas agnovit in litteris suis ad summum Pontificem.*

Authoritas illa inerrabilis S. Sedis, opinio est inter Catholicos acerrime disputata; & quidem adversæ multum concedens, si momenta utriusque è lance fidei ad pondus Sanctuarii pensites. Ignotam certè fuisse Veteribus opinionem istam, invictè probat Cypriani cum Stephano pro rebaptizandis hæreticis controversia: de qua juxta doctrinam istius ætatis

* *in quæsita Satisfactione ad Declarationem &c.*

ætatis magnus Auguſtinus pronuntians, ait: † *Quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus, ante ſchiſma Donati, magnos Viros,* (Cyprianum & Stephanum) *& magna charitate præditos Epiſcopos, ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibusque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint: donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* * Et iterum: *S. Cyprianus ſatis oſtendit, facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent: unde multa jam diximus. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ authoritate firmati: cui & ipſe (Cyprianus) ſine dubitatione cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata, per plenarium Concium ſolidaretur.* Cum Auguſtinus ait, Cyprianum facillimè correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraſſet baptiſmum collatum ab hæreticis eſſe validum; evidenter ſignificat, non fuiſſe id illi ſufficienter demonſtratum oraculo Stephani, qui non ſine excommunicationis ſaltem comminatione, adverſus rebaptizatores hæreticorum perſpicuam ac diſertam cum ſuo etiam Concilio ſententiam dixerat. Præterea adjiciens, ceſſurum fuiſſe ſine dubio Cyprianum, ſi illius quæſtionis veritas plenario Concilio eliquata fuiſſet ac ſolidata; apertè inſinuat, fidei veritates authoritate Pontificia ſola neque eliquari neque ſolidari judicio falli neſcio. Demum cum & de ſeipſo negat, ſe de quæſtione illa quidpiam definitò pronunciaturum fuiſſe, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmatum; manifeſte pandit, quid de Stephani deciſionibus, concordiâ iſtâ Eccleſiaſticâ non ſuffultis, ipſemet arbitretur & cenſeat.

Neque minus ineluctabile pro ſequentibus ſeculis argumentum præbet in hac diſceptatione Honorius: qui à tribus Conciliis Generalibus, innumeris Pontificibus, ac præſertim S. Leone ſecundo & Hadriano II. velut Monotheliſmi reus damnatus & anathemate percuſſus eſt; & Scripta ejus in ſexta Synodo coram omnibus comburi juſſa. Nihil enim intereſt, an revera Honorius objecto errore infectus fuerit, dummodo infici potuiſſe conſentiens tum Pontificum tum Conciliorum Generalium ſuffragium clare ſtatuat.

Ac revera (ut nonnihil excurramus in hanc materiam) quid compuliſſet antiquos illos Eccleſiæ Proceres tanto ſumptu, tanto plebium ſibi ſub-

† *lib. 1. de bapt. cont. donat. c. 7.* * *lib. 2. c. 4.*

ſubditarum vel periculo vel detrimento, tantâ ſuâ moleſtiâ & ærumnâ, Concilia œcumenica cogere, ſi illa animis eorum inſediſſet opinio, Pontificem poſſe ſine tali Concilio de fidei quæſtionibus falli neſciam ſententiam dicere? Cur viciſſim poſt ſententiam à Pontifice dictam, ipſa Concilia novum de integro tulere judicium, ut poſt Celeſtini ſententiam Epheſina Synodus, poſt Leonis ipſa Chalcedonenſis, poſt Vigilii Conſtantinopolitana ſecunda; ſi ſententiæ primo latæ, ſecundum fidem iſtorum temporum, adfuerat authoritas divino privilegio erroris expers? Cur etiam Pontifices à judicio ſuo ad Concilia provocari, & Concilia ipſa ſuo aſſenſu congregari ſine contradictione aut moleſtia paſſi ſunt, ut in cauſa Marcelli adverſus Julium, Neſtorii adverſus Celeſtinum, Eutychetis adverſus Leonem, & aliis compluribus diſerte liquet; ſi ſe tum crediderunt ipſi Pontifices potiri definiendi poteſtate irreformabili & neſcia falli? Demum cur iidem Pontifices, poſt ſententiam à ſe dictam, ultro & magnis ſollicitationibus poſtularunt ab Imperatoribus Concilia cogi, ubi cauſa plenius & altius decidi poſſet; ſi plena ac ſumma apud ipſos manebat decidendi ac ſine periculo erroris judicandi authoritas? Sic enim Leo (quem de Sedis ſuæ gloria nihil diminutum voluiſſe ſatis aliunde claret) ab Imperatore Theodoſio Epiſtola 9. flagitat: *Si pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Epiſcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia ſcandala, quæ in perturbationem totius Eccleſiæ ſunt commota, reſecari.* Et Epiſtola 35. ad Pulcheriam Auguſtam: *Univerſale* (inquit) *Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam, Clementia veſtra annuente, jubeatur: quo remota arte fallendi tandem pateat, quid ALTIORE TRACTATU aut coerceri debeat aut ſanari.* Item Epiſt. 15. ad Epiſcopos Epheſi congregatos. *Quia piè ac religioſè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut PLENIORE JUDICIO omnis poſſit error aboleri; fratres noſtros Julianum, Renatum Preſbyterum, & filium noſtrum Hilarium Diaconum, cumque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei miſi: qui vice mea ſancto conventui veſtræ fraternitatis interſint, & COMMUNI VOBISCUM SENTENTIA, QUÆ DOMINO SUNT PLACITURA CONSTITUANT.* Si *altiore tractatu*, ac *pleniore Judicio*, veniunt, quæ *communi omnium ſententia* in Univerſalibus Sacerdotum Conciliis *conſtituuntur Domino placitura*; ergo Leonis ſolius nec plenum fuerat, ipſo met commemorante, judicium, nec ſupremum.

Ad

Ad Controversias modernas propius accedit velitatio Vigilii cum Concilio Constantinopolitano II, hoc est quinta synodo, reputata ut oecumenica. Sicut enim tota hodierna discordia præcipue originem duxit à damnatione Janseniana, ita & ista à damnatione Trium Capitulorum: quo nomine vocabantur scripta trium auctorum Theodori, Theodoreti, & Ibæ: quos Nestoriani ad erroris sui patrocinium jure vel injuria producebant. Tria Capitula ista Edicto suo damnaverat Justinianus Imperator; Edictique sui subscriptionem ab Orientalibus Episcopis plerisque extorserat. Ut idem a Vigilio obtineret, accivit eum in urbem Regiam; quo tandem appulsus, diuturnioris moræ impatiens, ac Justiniani violentiis fractus, propugnata huc usque Capitula, *Judicato* suo, quod ad Mennam Constantinopolitanum Patriarcham scripsit, mutata derepente sententia condemnavit. * *Ubi primum Occidentalibus Ecclesiis Vigilii JUDICATUM, & nova Principis edicta innotuere* (cum Norisio Cardinale loquor, ut quorundam invidiam a me amoliar) *conqueri singuli, ac deplorare synodi Chalcedonensis auctoritatatem à Vigilio depressam, proditam ab illo fidem, & Ecclesiam pravo dogmate imbutam. Africani non modo JUDICATUM non approbarunt, sed eidem consentientes Ecclesiastica communione privarunt. Idem ab Illyricis Episcopis factum.... Fremebat universus Occidens, palamque Justiniani jussis non modo Episcopi, sed integra plebes refragabantur. Unde Imperator ex Vigilii JUDICATO lites in immensum auctas intelligebat, quas tamen eo scripto componendas speraverat... Nec solum in Occidente ob JUDICATUM male audiebat Vigilius, sed etiam à pluribus, vel in ipsa regia urbe, passim traducebatur... Illyrici Episcopi, qui transeunti Vigilio anno 546. occurrerant, ac eundem rogaverant ut nullatenus novitati, quæ facta est, acquiesceret; ubi primum JUDICATI sententiam intellexere, synodum indicunt, ac Trium Capitulorum defensio communi consilio decernitur. Anno sequenti Africani Antistites, Reparato Carthaginensi duce grande facinus ausi, non modo JUDICATUM rejecerunt, verùm etiam Vigilium ipsum anathemati subjecerunt. Vigilius nulla re magis indies angebatur, quam quod JUDICATUM emiserat; cujus scripti non semel eum penituit: videbat enim Occidentales ob id omni erga Apostolicam sedem reverentia deposita rebellasse.* Tantis ergo contradictionibus rursum fractus Vigilius Capitulorum defensionem resumpsit; & quoniam ea de novo Justinianus proscripserat, Edictumque, quo proscribebantur, publicè affigi jusserat; Vi-

* *Noris dissert de V. synodo c. 4.*

Vigilius *in Placidianam domum*, inquit* Norisius, *tum latinos tum græcos Episcopos venire jussos hisce admonuit*: QUICUMQUE EDICTIS ISTIS CONSENSUM PRÆBERE VOLUERIT, SCIAT SE AB APOSTOLICÆ SEDIS COMMUNIONE SUSPENSUM. Quia verò Justiniano quam Vigilio parere maluerant Mennas Constantinopolitanus, & Theodorus Cæsariensis; hunc episcopatu *pro sua*, ut ait, *pravitate* dejecit, illum à communione suspendit. Denique inchoata V. synodo, CONSTITUTUM emisit, quo ne Tria Capitula damnarentur, sub anathematis interminatione prohibuit. *Grave est enim*, inquit, *insultare defunctis, vel si laici fuerint; nedum illis qui in Episcopatu vitam deposuerunt.* Verum his nequidquam obstantibus synodus œcumenica auctores Trium Capitulorum damnatione percussit; & omnes qui eorundem Capitulorum defensionem susciperent, anathematis vinculo innodavit. *Anathema*, inquiebant Patres, *Theodoro Mopsuesteno. Anathema illis qui non anathematizant eum. Si quis defendit impia Theodoreti scripta, anathema sit. Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hereticum scripsisse, & non anathematizat eam, & defensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in illis continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine sanctorum Patrum, vel Chalcedonensis Concilii; & in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.*

Quid jam putamus, his ita decretis, animi fuisse Vigilio, aut quo assensu Concilii decisiones & anathemata excepisse? Sunt qui existimant cum Baronio, Vigilium cum reclamaret Concilio, & Tria Capitula defendere pergeret, mulctatum exilio: ubi partim ærumnis partem Ecclesiæ dissidiis denuo inflexus, definitioni consenserit; atque ab exilio Romam redeuntem in Sicilia inter vivos agere desiisse. Sunt qui rejecta exilii istius historia, sponte acquievisse Concilio asserunt: producuntque epistolam ipsam Vigilii Synodo assentientem, ab omni suppositionis nota legitimè vindicatam. In hac sententiæ suæ mutationem non modo confiteri non erubescit, sed advocato etiam magni Augustini exemplo tueri nititur. *Si in omni*, inquit, *negotio sapientiæ ratio postulat, ut id de quo quæritur retractetur; neque pudori esse debet, cum ea, quæ ab initio omissa studio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur; quanto magis Ecclesiasticis disceptationibus convenit, eamdem rationem in illis quoque observari: præcipuè cum manifestum sit, Patres nostros, & maxime Beatissi-*

* *ibid. c. 5.*

atissimum Augustinum, qui in divinis Scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ magistrum, propria scripta retractasse, dictaque sua correxisse, atque illa quæ omiserat, ac deinde invenerat, addidisse. Nos quoque similiter his exemplis invitati, in controversia Trium Capitulorum supra memoratorum numquam destitimus, quin investigaremus quid de prædictis Tribus Capitulis in Patrum nostrorum litteris verius inveniri posset. Dein recensitis Theodori, Theodoreti, & Ibæ erroribus, apertâ condemnatione pronuntiat: *Prædicta itaque tria impia Capitula anathematizamus & condemnamus: scilicet impium Theodorum Mopsuestiæ, una cum impiis ejus scriptis: & quæcumque impiè Theodoretus scripsit: atque etiam epistolam, quæ dicitur ab Iba conscripta fuisse, quæ superius dicta profana blasphemia comprehenduntur..... Quæ verò aut a me, aut ab aliis, ad defensionem prædictorum Trium Capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus.* Qui ex delibata hactenus narratione, Pontificis inerrabilem in sensu Scriptoris definiendo authoritatem (de qua jam potissimum in Belgio controversia fervet) per sublimationem & calcinationem, omnesque Chymicorum alembicos educere poterit; is, quantum arbitror, aquam ex pumice non difficulter eodem artificio exprimet. Sed needum luctuosæ nimium Tragœdiæ finis. Concilium istud œcumenicum post Vigilium probavit Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. Gregorius Magnus, & dein Pontifices alii magno numero, dum in indiculo professionis fidei, quam recenter electi emittebant, Concilium hoc quintum, unà cum ceteris, ut firmum ac legitimum receperunt. Num tamen propterea desitum à turbis & dissidiis circa ista Capitula, tantis anthoritatum molibus profligata? Imo per totum pæne Occidentem reclamatum est decisioni Concilii: per Afros, Istrios, Insubres, Ligures, & quotquot Primati Aquilensi suberant: qui non tantum non admisere Synodum; sed ab admittentium, adeoque & à Romani Pontificis communione fecere divortium. Quin etiam, * teste Christiano Lupo, *omnis Italia se à Pelagii, quasi Synodum Chalcedonensem prævaricati, communione abstulit.: adeo ut Thuscia Episcopi, proprii comprovinciales, ejus nomen ad altare non recitarent; atque ita tertius ad ei manum imponendum Episcopus nequiit reperiri.* Cum enim in Pontificem ordinandus esset, quod non nisi à tribus Episcopis consueverat fieri, dumtaxat duo inventi sunt, Joannes videlicet de Perusio, & Bonus de Ferentino, qui id officii (quis credat?) electo Pontifici voluere impendere. Gallos etiam diu, hoc est supra cen-

* *Tom.* 1. *conc. pag.* 738

tenos annos Concilio reluctatos fuisse, ex Crodoberto Turonensi eruditus * Paschasius Quesnellus observat. De Hispanis testatur similiter Christianus Lupus: † *Sexta generalis Synodus est Hispanis quinta, quod nempe quintam numquam recipiendam duxerint, utpote factam in præjudicium Synodi Chalcedonensis. Et hocce in illis judicium haud dubie culparunt S. Gregorius, ac ejus successores; nequaquam tamen illos damnavere, quod Catholicam communionem non lacerarent.* Hactenus ille.

Habent hîc ergo Præpositi Ecclesiastici, si quod uspiam dari potest, exemplum singulare ac memorabile, è quo cognoscant quam suspenso pede gradiendum sit in damnandis auctoribus, dum error damnatione feriendus neque propria illorum confessione, neque liquida Sectatorum assensione constat; nec verbis ita perspicuis in libris vitæ huic defunctorum exprimitur, ut ad sensum Catholicum & orthodoxum nullius explicationis beneficio transferri possint.

Non jam attingo errores varios, quibus Pontifices illaqueati fuisse ostenduntur ab inerrabilis istius authoritatis oppugnatoribus: nam & * apud illos legi possunt; & non jam ego hîc tractatum istius controversiæ suis constantem numeris, sed extemporalem dumtaxat expostulationem aliquam decrevi scribere. Dilabor itaque ad doctrinam Academiæ Lovaniensis, quam velut magni hominis argumentum, ventosa Consultoris nostri inanitas oggerit.

Ipsam itaque Lovaniensem Academiam non aliter olim quam antiquos docuisse liquet ex Historia Æneæ Sylvii, lib. 1. de gestis Basiliensis Concilii: ubi inter alias Conclusiones Theologorum, has tamquam disputationis fundamenta ponit:

I. *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum Generale Concilium supra Papam potestatem habere.*

II. *Generale Concilium, legitimè congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex auctoritate sua potest Romanus Pontifex: idque veritatis ejusdem est.*

III. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.*

Dein ex sermone quem Amedeus Lugdunensis Archiepiscopus habuit, refert * *Ludovicum Protonotarium Apostolicum has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicasse;* EASQVE ILLINC UNIVERSALIS STUDII AUCTORITATE FIRMATAS REPORTASSE. Quod Ludovicus illic præsens, quamvis tum, nescio quibus incitamentis, in contrariam inclinaret sen-

* *in Leonem Tom.* 1. *p.* 88. † *Tom.* 1. *Conc. p.* 740. * *Launoyum in Epistolis.*

tentiam, non fuit inficiatus; sed *Archiepiscopo finiente illico assurgens: verum est, ait, illas me apportasse veritates: vos tamen eas fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est.* Sit illa adjectio tantisper subdubia: quia assertionum istarum veritatem jam ad illud fidei fastigium disputatione hac evehere non laboramus. Sufficiat modo, quod Lovaniensis Academia, ad quam per Consultorem pacis improvidum appellatur, ab ortu suo tradiderit, Conciliorum potestatem esse Pontificibus superiorem; &, quod inde sequitur, inerrabilem ipsis authoritatem in definiendis fidei articulis non competere. Neque enim alia de causa *Concilio Generali, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentanti* (verba sunt Constantiensis Synodi) *obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem*, nisi quia in fidei negotio errori obnoxius est: nulla tali obediendi lege meritò vinciendus, si divinis pollicitationibus communitus, non errandi privilegio per se gauderet. Locupletiorem porrò avitæ illius Lovaniensis doctrinæ testem proferre non possumus, quam Hadrianum Florentium de Trajecto, ex Doctore Lovaniensi Pontificem maximum, dictumque retento baptismali nomine Hadrianum sextum. Hic in quartum Sententiarum, de Ministro Sacramenti Confirmationis agens, acceptam a Majoribus doctrinam sine ullius tergiversationis ambagibus purè exhibet. *Ad secundum principale*, inquit, *de facto Gregorii, dico I. Quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo: plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Quod etiam deinceps errore circumventorum Pontificum variis exemplis probat. Quare si, ut habet Consultor noster, *authoritatem inerrabilem S. Sedis agnoverunt* posteriores *Lovanienses Theologi, ubi agebant contra Lutherum*; à Majorum suorum dogmatibus discessionem fecere, & Ecclesiam objecere Hæreticorum sibilis, qui, quid de hoc articulo ferret superius allegata Patrum ac Conciliorum sententia, & Ecclesiasticæ Historiæ Traditio, certissimè non ignorabant. Rectius sane adversus Lutherum de hoc dogmate admonuit Legatum suum Franciscum Cheregatum idem Hadrianus Pontifex, in instructione data ad Principes Romani Imperii. *Certe fatemur*, inquit, *Luthero* (qui se inauditum condemnatum à Leone decimo querebatur) *defensionem negari non debere in his quæ sunt facti:* (igitur nec insigni Episcopo Catholico per Innocentium decimum non auditis partibus condemnato) *hoc est: Utrum dixerit nec ne; utrum prædicaverit, vel scripserit,*

pserit, nec ne? Super divino verò Jure, & Materia Sacramentorum STANDUM AUCTORITATI SANCTORUM ET ECCLESIÆ. (De authoritate Leonis, à quo jam tum damnatus Lutherus fuerat, tamquam cui standum sit pariter, nihil memorat.) *Adde, quod fere omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia prius reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod per generalia Concilia, & Universam Ecclesiam constat esse approbatum, tamquam fide tenendum. Injuriam namque facit Ecclesiæ Synodo, qui semel rectè disposita nititur in dubium revocare. Quid enim umquam certi esse poterit inter homines, vel quis dubitationum contentionumque finis erit; si præsumptuoso & perverso cuilibet libertas seu licentia erit recedendi ab iis, quæ non unius aut paucorum, sed tot seculorum, & tot sapientissimorum hominum consensu, & *CATHOLICÆ ECCLESIÆ, QUAM DEUS IN HIS, QUÆ SUNT FIDEI, NUMQUAM ERRARE PERMITTIT, *determinatione sancita sunt.* Facem in meridie accendit, qui tam fulgentia pluribus elucidare voluerit.

Nihil autem hìc jam disputamus de *locutione ex Cathedra:* donec inventores illius inter se convenerint, quid per illam (ab his & illis, ut videmus, longe aliter intellectam) animo cogitare oporteat; & explorata designentur indicia, quibus ista *locutio* dignosci, atque ab aliis non ex Cathedra locutionibus discerni valeat; producaturque vel è Veteribus unus, qui illius sic coloribus suis delineatæ explicatæque meminerit. His rite exantlatis (nam constabunt labore improbo) accipient responsum suum.

Ex dictis elicitur solutio sequentis Paragraphi: videlicet quod in damnationibus istis præsumptio justitiæ stet à partibus Judicis seu Præpositi, nisi oppugnator Judicii (quem omnia tribunalia non inerrabilia certis casibus ferre debent) errorem in præsenti casu commissum probationibus gravibus ac firmis demonstret; nec sententiam ea sola ratione frivola elusam velit, quod Præpositus potestate falli nescia dotatus non sit; adeoque *dum vitat stultus vitia, in contraria currat.*

Sed fortasse Consultor per verba: *prout eas Apostolica Sedes damnat,* intelligit sensum, quem Sedes Apostolica, damnationem elocuta, in mente habuit; & tum non Theologi isti Lovanienses pulsandi, sed ipsa Sedes humiliter requirenda, ut illum sensum periphrasi conspicua explanet ac circumscribat: quo facto patescet, an sensus ille cum sensu ab Assertoribus intento, in rigore, & juxta proprietatem verbis inditam, exactè concinat.

Mirum

Mirum profectò, quod Professor Theologicus offendatur propositione ista: *Christum mortuum esse pro salute æterna dumtaxat electorum:* quam si non decies in Augustino Hipponensi, quem parum terit, saltem legisse debuerat in Evangelio, ubi Christus illam enuntiat Joannis decimo Capite, versu decimo quinto hac aperta periodo: *Animam meam pono pro ovibus meis.* Cum enim Joannis capite 15. versu 13. positionem illam animæ tamquam peculiare sui erga suos amoris documentum efferat, dicens: *Majorem hàc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; liquet, propositionem primam: *Animam meam pono pro ovibus meis*: esse *exclusivam* (ut Dialectici ajunt) & æquivalentem huic: *Animam meam pono pro solis ovibus meis*; adeoque coincidere cum reprobrata Consultoris nostri: *Christus mortuus est pro salute æterna duntaxat electorum*, hoc est, *solorum electorum*: neque enim alium intellectum tolerabilem hisce terminis seorsim propositio constructa recipit. Per vocem *oves* porrò *electos* superius à salvatore nostro descriptos fuisse, compertum est ex eodem Capite, quando de iisdem edicit: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Quod attinet quintam propositionem famosam, ea rite condemnata habetur, hoc sensu intellecta: ut *Christus pro salute sola prædestinatorum mortuus sit*: nam quod *Christus mortuus sit pro solorum electorum salute* (hoc est, ad solorum electorum salutem morte sua intendens: qui dictionis illius proprius ac genuinus secundum Scripturas, Patres, & commercium receptæ locutionis est sensus;) non esse id propositionem *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *divinæ pietati derogantem*, *& hæreticam*; omnis, qui in hac materia tantillum versatus est, dilucidè ac planè percipit.

De Alexandri VIII. Decreto nihil est quod cum honore aliquo Consultor mutiat, donec responderit ad *nonam difficultatem* ipsi propositam: sicut & ad alias præcedentes: ne similis sit triconibus istis odiosis, qui, cum animam debeant, semper tamen sibi aliquid ab aliis solvi postulant, & nemini solvunt.

Quoad Formularium, conetur primitus depellere argumenta, quæ circa illud allegata sunt in *Panegyri Janseniana*, & Apologiis secutis ac (si Dominus voluerit) secuturis: & tum videbitur, an *causa illa finita sit* ea finitione quam Ecclesiæ tranquillitas exigit.

Paragrapho tertio Consultor pedanismum, quem strenuè profitetur, in solio supremo collocat, dum ad pacem componendam poscit à Collegis suis admitti ineptam illam gratiam sufficientem Thomisticam, toti antiqui-

tiqui-

tiquitati, & ipsi quoque D. Thomæ incognitam; ab omni sanorum hominum loquendi usu penitus alienam; atque à magno Augustino, Doctore gratiæ per Ecclesiam recepto, assertionibus contrariis perspicue repudiatam.

Producat, quæso, tandem aliquando responsi quidpiam gratiosi ad Montalii secundam Epistolam; ut clarescat, an festivi Duacenses illi, de quibus queritur, inter amicos gratiam illam politicam sufficientem, quæ non sufficit, immerito an dignè rideant.

Ad Paragraphum quartum ac postremum, fatemur haud multo majorem esse Cardinalis Aguirrii in disciplina Pænitentiæ declaranda auctoritatem, præter eam quam sibi scriptor ille eruditus petitis è Traditione Ecclesiastica rationibus ac monumentis conciliat; nec etiam video, hac celsiorem in *Declaratione*, quam Consultor exagitandam suscipit, Eminentissimo viro tribui.

Peccata gravia (de quibus *Reflexiones*) in eodem scriptore, antiquitatis æstimationem ac studium præ se ferente, accipio, ut ab antiquis sumi solebant, pro quibusvis peccatis mortalibus: quod, ne his inutiliter excutiendis immorer, egregie ostensum est ab Antonio Arnaldo in illustri opere *de Frequenti Communione*, partis secundæ secundo capite, & sequentibus.

Stupenda res, Consultorem postulare ut pacis Collegæ promittant *nihil strictius se docturos ac practicaturos quam instructiones S. Caroli Borromæi*: cum ipse Carolus in Synodo sua Diœcesana decima * *deplorarit, increpueritque segnitiem suam, irritos conatus, & statum in qua relicturus Ecclesiam suam ipse esset. Sicut enim cum Templum Hierosolymitanum reficeretur, exultantibus gaudio junioribus, majores natu veteris, quod viderant, Templi magnificentiam animo recolentes, illachrymabantur; ita si primæva Ecclesia sanctimoniam purosque animos, quibus ætas illa numen coluisset, oculis subjecissent, ex comparatione intellecturos, quam adhuc multa deessent sibi, & una cum misero Clero Episcopum infelicem posse commoveri, ne temperarent a lacrymis.* Quapropter cum Cardinalis quidam Concilia toties ab eo haberi minus necessarium judicaret, regessit dignam Ambrosii successore orationem: † *Cum Tridentina Synodus veterem Ecclesiæ disciplinam in usum revocari jussisset; Concilia sibi usque eo cogenda, dum eam ad primævam integritatem restituisset.* Porro quam procul adhuc à primæva illa perfectione restituenda vir Sanctus abfuerit, quoniam nec Consultorem ipsum de hac re hæsitantem existimo, nihil opus est pluribus commonstrare.

Tollo

* *Ripament. in vita S. Caroli. lib. 6.* † *Giussano in ejus vita lib. 2. c. 18.*

Tollo ergo manum de tabula, dum paucis, ô Consultor inconsulte, Martine Steyartie, tecum expostularo de insulsa periodo qua *Responsionem* prætensè *pacificam* claudis operculo patella digno, hoc est, tuo genio apprimè consono. Depingis illic adversarios tuos, ac si pinguibus beneficiis, conferto sacco à te possessis, macros suos ungues injicere mediteutur, & scabioso isto desiderio jam inde pruriant. *Est mihi*, inquis, *unde plusculi vestrum ea accipiant, quæ cupere se significant.* Pedanicè, putidè, fastidiosè. *Ego nullo istorum egeo, postquam videro bona fide conciliatam S. Sedi totam hanc scholam, nec esse in ea laborandum, quomodo laboratum huc usque est, pro sana doctrina.* Præmiseras paulo ante: *Quia tunc nihil in hac Academia mihi agendum restabit, propter quæ unice ad illam redii; faciam ultro locum vobis.* Si, ut jactas, non alio visco adglutinaris officiis vel beneficiis tuis, cur ergo * viis tam indignis ad eorum culmina perrepsisti, ut de dignitate tua *Conservatoris* exhibet Epistola quædam gallica ad nos transmissa? Quibus quoque præsidiis ad cetera munia, ac præsertim ad Beneficiorum tuorum januam, *Facultatem*, inquam, *Theologicam strictè dictam* (quæ tibi perinde atque aliis obserata erat) te intruseris, quis edisseret? Demum quæ est, amabo, doctrina ista sana, pro qua in schola & Academia ista laboras, propter quam unice ad illam redisti, & qua constabilita ultro facies æmulis tuis locum? An quod via angusta Evangelii sit via à promiscuis Christianis seu Catholicis passim trita? An quod pœnitentiæ antiquæ idcirco à Patribus tantâ acrimoniâ adspersæ fuerint, ut per illas perveniretur ad integritatem Baptismali parem, hoc est, eam quam vix ullus umquam per Sacramentum pœnitentiæ obtinet; & ut obtineret, nullis firmis documentis ab Ecclesia explorari posset, an obtinuerit? Sic nimirum egregii illi ac Sancti proceres tum se tum pœnitentes tantopere faligarunt, ut producerent in iis statum animi, & ipsi pœnitenti, & omnibus per totam Ecclesiam judicibus seu confessariis inconspicuum, & nullis (tametsi te disruperis) indiciis colligendum. Vel an forte doctrina ista sana, pro qua invehenda Lovanio affixus manes, sunt horribilia illa paradoxa tua: Quod fornicatio sit peccatum ebrietate minus; & sacerdos à fœditatibus suis adhuc tepens mittendus sit ad altare Domini, & Sacrificium incruentum, coram quo Angeli contremiscunt, celebrandum post horas pauculas? Enimvero opus habet te schola, opus habet te Academia, opus habet te Ecclesia pro doctrinis istis sanis imo pessimis & flagitiosissimis laborantem; atque ad evidentissimam corruptelam juventutis, ad ma-

* Vide *lettre à Monsieur Steyaert &c. chez Henry van Rhyn.* 1697.

manifestum Cleri dedecus, ad præfentissimum infinitarum animarum exitium certamina & bella cientem. Si hìc dumtaxat tibi aqua hæreat, abi, excede, evade, fugam arripe salutarem; & Universitatem Lovaniensem à dissidiis, Theologiæ candidatos à perversa institutione, ac tuam ipsius animam à gravissimo Dei judicio (quod non sentis, sed tamen portas contuentibus ac gementibus nobis) dum adhuc tempus est, nam propediem non erit, maturè libera.

F I N I S.

M A N T I S S A.

Dum his præpedior, ecce ad manus meas perfertur quædam *Thesis tua, *Concordans cum suo Originali*, hoc est, Thrasonismo ac Pedanismo turgida: ubi inter alia (nam Augiæ stabulum quis everrat?) vexas Vergerium *effutientem* (hi tui flosculi) *quod Confessio Venialium mille annorum spatio non fuerit in usu ordinario per Ecclesiam.* Si Vir es, macte animo, quod contra habes, scripto committe; & Symmistæ Vergerii (sic illos nuncupas) Magistrum suum à tuis areanearum telis facile expedierint. An forte, ut olim, regeres: *Non mihi si centum linguæ sint oraque centum, sufficiam hodie ad respondendum legioni hominum*? At tum profecto nec centum ora effrænia, nec centum linguæ aculeatæ tibi esse deberent, ut legiones hominum ad prælia provocares. Ubi sunt enim, exempli gratia, effrænati illi *Theologi horum temporum*, qui *Satisfactionem* ut est *tertia Sacramenti pars, esse essentialem, jureque divino absolutioni præmittendam hallucinati sunt*? Itane ad vellicandum Theologos potiores te, qui non aliter quam Sancti Patres de *Satisfactione* locuti sunt; pedanicè libet ludere in voce æquivoca? Satisfactionem quippe apud Antiquos pro laboriosis operibus culpam delentibus, ignem æternum extinguentibus, animam purgantibus atque ad sinceram conversionem adminiculantibus potissimum accipi. recenter vero sumi pro mulctis quæ deletâ culpa, ad pænas dumtaxat temporales, reliquiasque peccatorum abstergendas à Confessario imponuntur; nemo nescit qui has controversias vel à limine salutavit. Denique, ut hæc materia lucem majorem hauriat, cur Symmista tuus non respondet ad *Mendax Judicium*, jam pridem illi retortum ad *Resolutionem practicam quæstionis de Recidivis*? Curvissima tua regula: *Sit Confessario pro Regula communis absolutio*: illic accommodatè & cum otio poterit examinari, frangi, comminui.

* *Defensa* 8. *Martii* 1701.